

R. P. D.

CORTADA

Cracovien. Decimarum.

Veneris 6. Martii 1750.

1 UT maximo occurreret incommodo populorum Villam Vvlostovvice incolentium promananti tùm ex satis longo itinere ad Parochialem Ecclesiam Jaroszyn, tùm præcipuè ex tumescentibus hyberno tempore aquis Fluminis Vistulæ memoratam Villam à Parochiali intersecantis Ordinarius Cracoviensis usus facultatibus sibi tributis *in cap. Ad audientiam de Eccles. ædific.*, & *d Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. de Reformat.* Anno 1676. veterem Parochialem dismen-

 smen-

smenbravit, novamque constituit in memorata Villa Vvlostovvice, cui addixit etiam conterminas Villam Parchatkaa, Skovviesẑyn, Putavvy, & Vvolka Profecka, in ejusque dotem adsignavit non solum proprietatem trium Agrorum Kuczhovvski, Jahobovvski, & Cichoniovvski in hunc finem donatorum à Principe Lubomirski, sed etiam Cmethonales Decimas penderi sol tas ex ipsis, aliisque Agris Cmethonalibus sitis in Villa Vvolska Profetka, & Decimas prædiales percipiendas ex Villis Vvlostovvice, Putavvy, ac Gornec Vinarii. Prædiales autem Decimæ in Diœcesi Cracovien. nuncupantur, quæ ex Agris Nobilium, Cmethonales verò, quæ ex Agris Cmethonum, idest Rusticorum pensitantur; quemadmodùm hanc diversam Decimarum nomenclationem explicans firmavit *Rota in Cracovien. Decimarum* 10. *Junii* 1748. §. 3. *coram R.P.D. Bussio*.

2 Primus contra memoratam Decimarum assignationem reclamavit Parochus Ecclesiæ Komoka Vvola, obtinuitque per Decretum Nuntiaturæ emanatum 19. Januarii 1680. eam revocari quoad Decimas Putavvi, & Gorne Vinarii quippe quæ ad suam, non ad veterem dismembratam Parochiam pertinebant. Subindè verò cum similem actionem rescissoriam instauraturum esset Ven. Monasterium S. Crucis in Monte Calvo, ad quod spectabant Cmethonales Decimæ solvi solitæ ex Villis Vvolvvlostovice, SKovviesẑin, & Parchovvatka, seù Parchatka, & signantèr ex tribus Agris Kuczhovvski, Jakobovvski, & Cichoniovvski, quæ itidèm in Decreto dismembrationis legebantur novæ Parochiæ attributæ; tunc temporis Rector non modò ab iis exigendis se abstinuit, sed ad fugiandas inutilis litigii expensas, solemnem edidit declarationem anno 1680., qua fassus fuit Cmethonales Decimas spectare ad Monasterium S. Crucis, spoponditque se illas imposterùm soluturum ex memoratis tribus Agris Cmethonalibus à sua Parochia possessis; eamdemque declarationem repetiit anno 1719. modernus Parochus, qui cum subindè in expromissa Decimarum solutione cessaverit, Ven. Monasterium ipsum in jus vocavit coram Ordinario Cracoviensi, apud quem Parochus per viam reconventionis proposuit instantiam repetitionis Decimarum illiusque pacificè perceptarum à Ven. Monasterio ex sex aliis Agris Koloycka, Szlama, Zbrza, Kobilarsza, Podkoleyka, Novinki in suæ Parochiæ Districtu existentibus.

3 At Ordinarius sicuti manutentionem concessit Monasterio in exactione Decimarum trium Agrorum Jakobovvski, Kuczhovvski, & Cichoniovvski tamquam Cmethonalium, ita vicissim ipsum damnavit ad restituendas Decimas, uno excepto Agro Podlesiæ, ex quinque reliquis Agris superius descriptis, ex quo censuit ipsos non esse Cmethonales, nec proindè Cmethonales esse Decimas ex ipsis præstari solitas, sed præ-
dia-

diales, uti patet ex Decreto edito 2. *Decembris* 1743. confirmato 20. *Septembris* 1745., quæ gemina Decreta ad unguem comprobata fuerunt per Sententiam in gradu appellationis ab Auditore Nuntiaturæ prolatam: Hæc tamen unacum præcedentibus Decretis in gradu ulterioris appellationis revocata fuit per Judicem Delegatum, qui versâ vice censuit Monasterium manutenendum in possessione exigendi Decimas ex sex Agris S. lama, Zborza, Novvinski, Koleyka, Kobilarska, Podkoleyka, quos censuit Cmethonales, & absolvendum Parochum ab ulteriori pensitationeDecimarum Agrorum Kuczkovvski, Jakobovvski, Cichonievvski, existimans eos quamvis natura sua Cmethonales liberos evasisse postquam in dotale mansum novæ Parochialis anno 1676. fuerant constituti, à qua Sententia cum iterùm fuerit ad nostrum Sacrum Tribunal provocatum, in vim directæ mihi commissionis hodiè proposui Dub. = *An*, *&* *cui*, *&* *ex quibus Agris debeantur Decimæ in casu &c.* = & in contumaciam Parochi jura sua producere negligentis, licet pluriès moniti, pro Ven. Monasterio *Informante* rescriptum fuit.

4 Quamvis enim Parocho Decimas sibi addicenti ex omnibus Bonis intra Parochiæ suæ limites existentibus faveat Sac. Canonum censura relata *in cap. Cum contingat*, *cap. Tua nos*, *&* *tot. tit. de Decim.*; Tamen cum Ven. Monasterium legitima ediderit documenta ipsi attribuentia Cmethonales Decimas ex controversis Agris persolvendas, obstare ipsi non potest allegata Juris determinatio, quæ tantæ virtutis non est, ut excludere valeat particularem Decimatorem legitimo titulo suffultum. *Barbos. de Paroch. part. prima cap.* 28. *num.* 44., *Rot. in Recen. decis.* 458. *num.* 15. *part.* 5., *decis.* 716. *num.* 7. *part.* 11., *decis.* 315. *num. primo part.* 12., *decis.* 749. *num.* 1. *part.* 18., *&* *coram Falconer. decis. prima num.* 17. *tit. de Decim.*, *&* *in Cracovien. Decimarum* 10. *Junii* 1748. §. 4. *coram R.P.D. meo Bussio*.

5 Vix autem ambigi posse videtur de Jure Ven. Monasterio uti particulari Decimatori competente; Cum enim non impugnetur existentia supra recensitorum Agrorum Cmethonalium in Villis Vvlostovvice Skovvieszyn, & Parchovatka, seu Parchatka, cumque Jus manipulares Decimas exigendi ex omnibus Agris Cmethonalibus in præfatis Villis existentibus disertis verbis tributum legatur Ven. Monasterio in Libro Beneficiorum Diœcesis Cracoviensis, qui perantiquus est, omniaque præsefert quam diligentissimè descripta cujusque Beneficii Jura, adeòut apud Polonos Legi fundationis æquipolleat, profectò dubitare non licet, quin comprobata per tàm authenticum Documentum Decimarum pertinentia, legitima sit, pleneque conclusa *Rota coram Emerix Jun. decis.* 1264. *num. primo*, *coram Bich. decis.* 442. *num. primo*, *coram Caprar. decis.* 536. *num.* 5., *&* *in Recent. decis.* 574.

 num. 5.,

num.5., *decis.* 749. *num.3. part.18. tom.2.*, *decis.48. num.2. part.19. tom.2.*, *& in Cracovien. Decimarum super Bono Jure 26. Junii 1747. §. 3. coram R. P. D. Clemente*, *& in Cracovien. Decimarum 27. Junii 1749. coram R. P. D. meo Canilliac*.

6 Eoque magis dùm adſcripta Ven. Monaſterio Decimarum Cmethonalium pertinentia tribuitur legitimo titulo donationis, qua, ut liber ipſe habet, in Ven. Monaſterium erigendum, haſce Decimas tranſtulit Ordinarius Cracovienſis, cui cum etiam poſt ſequutam Parochiarum diviſionem competat, & reſervata præſumatur certa Decimarum quota *cap. Conquerente 16. §. Nos autem de Offic. Ordinar.*, *cap. Dudum 31. de Decim.* *Rota decis.* 519. *num.2. coram Ludovis.*, *decis.* 247. *num. primo coram Cavaler.*, *decis.350. num.7. part.12.*, *decis.* 180. *num.5. part.15. Recent.*, *& in Tricaricen. Decimarum* 10. *Decembris 1736. §. Quamvìs coram Eminentiſſimo Creſcentio*, *& in S. Severinæ Decimarum* 12. *Januarii* 1748. *§. 3. coram R. P. D. meo Buſſio*. Conſequitur, ut Monaſterio per talem donationem in locum, & jura Ordinarii ſubingreſſo nequeat objici generalis illa præſumptio favens Parocho uti univerſali Decimatori *Rot. decis.* 193. *part. prima num.5.*, *decis.* 316. *num.17. part.11.*, *decis.315. num. primo part.12.*, *decis.* 749. *num. primo part.18. Recent.*; omnemque tandem ſubmovent difficultatem ampliſſima Summorum Pontificum, & Regum privilegia, quibus cum jus Ven. Monaſterii confirmetur, & comprobetur ad formam deſcriptionis in Libro Beneficiorum inſertæ, nullo modo controverti poteſt Decimarum pertinentia ex Libro ſic comprobato conſtituta *Dec. conſ.341. num.7.*, *Rot. decis.222. num.10. part.7. Recent.*, *& coram Bich. decis.* 261. *num.10.*, *coram Anſald. decis.36. num.14.*

7 Quin relevet, quod in ſæpiùs memorato Beneficiorum libro jus Monaſterii arctetur ad Manipulares Decimas exigendas ſolùm ex Agris Cmethonalibus, quales non probentur Agri, ex quibus Decimas Monaſterium ſibi addicit. Diſtinctìm namque de ſingulis agendo, & primò de tribus Agris Kuczkovvski, Cickoniovvschi, & Jakobovvski, horum Cmethonalis qualitas non ſolùm admittitur in præcedentibus Sententiis favore Parochi evulgatis, & admittitur ab ipſis Teſtibus inductis per Parochum, contra quem quamvis eſſent unici plenam conſtituerent probationem *Adden. ad Ludoviſ. decis.215. num.9.*, *Rota decis.214. num.18. coram Bich.*, *decis.1. num.18. coram Falconer. tit. de Sponſalib.*, *& in Recent. dec.208. num.13. part.17.* Sed inſuper memorati Agri tamquàm Cmethonales deſcribuntur in decreto diſmembrationis, & conſtitutionis novæ Parochiæ, necnon adſignationis Dotis, quod cum fuerit à Parocho productum, ipſique adhæreat uti præcipuo ſuæ intentionis fundamento, licere eidem nullo modo poteſt deſeri-

ſcriptam in illo Agrorum qualitatem impugnare *Rot. dec.758. n.6. cor. Dunoz. jun.*, *decis.317. num.4.*, *&* *5. coram Celso*, *decis.155. num.15. coram Ansaldo*.

8 Conſtabilita qualitate Cmethonali recenſitorum Agrorum, & conſectarium Jus Ven. Monaſterii exigendi ex illis manipulares Decimas, haùd rectè contendi poteſt tale Jus evanuiſſe ſtatim ac novæ Parochiali fuerunt memorati tres Agri donati, & in dotem deſtinati in Decreto edito anno 1676. Præterquamquod enim huic Juris imminutioni adverſatur diſpoſitio Sac. Canonum determinantium, ut novæ Parochiæ per diſmembrationem conſtitutæ Dos comparetur ex proventibus ad Eccleſiam Matricem, non verò ad alias ſpectantibus *Cap. ad audientiam de Eccleſ. ædific.*, *Concil. Trident. ſeſſ.21. cap.4. de Reform.*, *&* *ibidem Barboſ. num.15.*, *Lambertin. de Jurepatr. lib. primo part. prima quæſt.7. artic. 2. num.7.*, *Fagnan. in cap. ad Audientiam num.57.*

9 Ulteriùs nullum per objectam aſſignationem præjudicium fuiſſe Ven. Monaſterio irrogatum ad evidentiam comprobat ſolemnis declaratio, qua tùnc temporis Rector, & ſubindè etiam hodiernus Parochus anno 1719. inſubſiſtentem agnoſcens peractam Decimarum Cmethonalium aſſignationem, jus Monaſterii firmum, immotumque manere confeſſus fuit, ſpopónditque ſe Decimas ex illis agris ſoluturum, hæc autem ſolemnis tùm Anteceſſoris, tùm & præcipuè hodierni Rectoris declaratio, probationem probatam conſtituit contra Parocum declarantem, ut in puncto firmavit *Rot. deciſ. 197. num.10. coram Herrer.*, *deciſ.315. num.5. part.12. Recen.*, *&* *in Tricaricen. Decimarum ſuper liquidatione 16. Junii 1749. §.3.*, *&* *4. coram R.P.D. meo Migazzi*. Eoque etiam fortius dum contra Parocum Reum conventum gemina prodierunt Decreta anno 1718., & 1723. in Curia Cracovienſi, quibus ipſe neglecta hac ipſa tùnc promota exceptione Tituli ex Decreto diſmembrationis profluentis, fuit ad penſitandas Decimas damnatus; hæc autèm decreta cum jàm pridèm tranſiverint in Judicatum, efficiunt, ne valeat iterùm Parochus ſemèl rejectum titulum obtrudere ad controvertendam Decimarum pertinentiam jam in illis Ven. Monaſterio tributam *leg. Res judicata ff. de Regul. jur.*, *cap. ſuborta de Re judic.*, *Rot. deciſ.49. num.15. tit. de Fideicom. coram Falconer. deciſ.163. num. primo*, *&* *deciſ.526. num.8. coram Molines*, *&* *in Tricaricen. Decimarum ſuper Liquidatione 16. Julii 1749. §.6. coram R.P.D. Migazzi*.

10 His ita conſtitutis quoad tres primos Agros, bonum jus Monaſterii clarius eluceſcere videtur quoad reliquos ſex Agros, ex quibus Parochus in Judicium vocatus per viam reconventionis Decimas ſibi debitas propugnavit; videlicet Szlama, Koleyka, Zbarza Kobilaska, Novvinki, & Podkoleyka; Primi enim tres Agri exiſtunt in Diſtrictu Villarum Parchatka,

tka,

tka, & Zbendovvice, tres verò reliqui in Villa Vvlostavvice, quibus in Villis jus Decimas percipiendi ex Agris Cmethonalibus indubiè spectat ad Ven. Monasterium in Monte Calvo juxta adnotationem existentem in sępius memorato libro Beneficiorum; quod verò hi omnes Agri sint reipsa Cmethonales, hoc est possideantur à Rusticis, vix controverti potest; Tales enìm in primis eos deprehendit Judex Commissarius in Judiciali Accessu, hæc autèm ocularis Judicis inspectio tàm diligentèr expleta per se etiam legitimam constituit hujusce qualitatis probationem *Posth. de Manut. observ.*110.*num.*5., *Rot. coram Gregor. decis.*575. *num.*6., *coram Molin. decis.*741. *num.*18., *coram Lancet. decis.*1308. *num.*17., *in Asculana Aquarum super bono jure* 6. *Junii* 1732. §. *Præfatæ coram clar. mem. Card. Calcagnino*, *& in Romana Fabricæ* 28. *Martii* 1748. §. 3. *coram Eminentissimo Millino*.

11 Deindè de hac ipsa Agrorum omnium qualitate univocè deponunt complures Testes formitèr examinati, qui cum easdem, vel conterminas Villas incolant, proindèque locorum situs, ac pertinentias optimè calleant omnimodam sibi merentur fidem *Mascard. de probat. conclus.*484. *num. primo*, *Monet. de Decim. cap.*4. *num.*79., *Zaul. ad Statut. Favent. lib.*3. *Rubric.*37. *num.*18., *Sperel. decis.*178. *num.*17., *de Comit. decis. Florent.*81. *num.*12., *Rota coram Coccin. decis.*460. *num.*2., *coram Emerix jun. decis.*1077. *num.*8., *& in Rec. decis.*33. *num.*3. *part.*4. *tom. primo*. Præsertìm verò dùm hanc ipsam qualitatem Cmethonalem controversis Agris attribuunt Testes ab ipso Parocho inducti, contra quem probatam constituunt probationem per *Text. in leg. Si quis Testibus Cod. de Testib.*, *Rot. coram Cerro decis.*838. *num.*10. *coram Caprar. decis.*367. *num.*8., *& in Recent. decis.*9. *num.*14. *part.* 5.

12 Superaccedit tandèm antiquissima observantia comprobata tùm ex Codicibus rationalibus, & pervetustis Regestris Ven. Monasterii, tùm & præcipuè ex complurium Testium depositionibus, ac ex ipsamet confessione Parochi, ultro fatentis, Decimas ex controversis Agris semper fuisse à Monasterio perceptas; hæc autèm tam diuturna, & constans observantia sumpta in linea interpretativa mirum in modum suadet tales re ipsa esse Agros, quales eos effinxit successivi temporis usus *Rota coram Lancetta decis.*625. *num.*15., *coram Ansald. decis.*476. *num.*28., *& in Recent. decis.*749. *num.*2., *dec.*574. *num.*9. *part.*18., *& in Pampilonen. Beneficii de Haurte* 12. *Junii* 1741. §.12. *coram bon. mem. Peralta*.

13 Quinimò cum hæc observantia eo usque protendatur, ut nec ab antiqua Matrice, nec ab erecta nova Parochiali probetur, Decimas ex recensitis Agris unquàm fuisse perceptas, prodest illa Ven. Monasterio in linea etiam præsumptiva cujuscumque me-

melioris tituli, & multo magis in linea præscriptiva; quoniàm hæc tamquàm subnixa Titulo saltèm colorato desumpto ex memorato Libro Beneficiorum per solum quadragenarium annorum lapsum plenam obtinuit firmitatem *Rebuf. de Decim. quæst.13. num.15.*, *Rota decis.842. num.1.*, *& decis.1404. num.3. coram Sepraph.*, *decis.203. num.1. part.5. Rec.*, *coram Molin. decis.415. num.6.*

Et ita altera tantùm &c.

ROMÆ, MDCCL.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.

32

4

meliorís tituli, & multo magis in linea præscriptiva; quoniam hæc tamquam innixa Titulo saltem colorato desumpto ex memorato Libro Beneficiorum per solum quadragenarium annorum lapsum plenam obtinuit firmitatem *Rebuff. de Decim. quæst.13. num.15., Rota decis.842. num.1., & decis.1504. num.2. coram Seraph., decis.203. num.1. part.5. Recen. coram Molin. decis.415. num.6.*

Et ita alteratantum &c.

ROMÆ, MDCCL.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.